

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 57. a (*Neovidensis* 1805. Nro. 54.)

Ex Campis Elysiis
O r a t i o P o l i t i c a
De quinta rota in curru.

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 19. Julii 1805. (Neov. 5. Julii.)

Vulgo notum adagium:

Hoc tantum valet, quantum quinta in curru rota.

Nescio, quid id sit, quod multi hominum optent bellum. Nuperrime cum quodam, in rebus politicis egregie versato, confabulabar. Hic acerrime propugnavit, bellum quidem esse malum, in præsentibus tamen rerum adjunctis necessarium malum. Ego non eram ejus opinionis, quare refutavi bellica ejus sententia, provocando ad publicas ephemerides, utpote ad unicum tironum in rebus politicis fontem, produxi eidem loca, in quibus mentio fit de tractatibus pacis, ubi Procuratores jam se itineri accinxerunt, ubi ad pacem conciliandam aliarum gentium intercesisse opera commemoratur.

Non possum indignationem silentio premere: Considerate enim, dilecti amici! in

faciem mihi dixit (*indignitatem in pænultimarum ephemeridum fidem!*) Rerum novarum commentarii idem sunt in rebus politicis, quod quinta rota in curru.

Cohorruī; interim cogitabam, virum hunc esse in procinctu peregre abeundi. Quapropter ita eum sum allocutus: curam, & diligentiam in itinere adhibe omnem, ne forte opus habeas quinta rota. Dictum, factum. Post tres dies sequentem ab eo accepi de quinta rota dissertationem.

Proverbia magnam habent inter homines auctoritatem, illis enim absque uberiori inquisitione, tanquam certis veritatibus fidem habemus. Proverbia, ajimus, innituntur probatæ, & sæpe repetitæ experientiæ, ea de causa deferunt signum veritatis ad liquidum exploratæ! sed quantum est hujus rei fundamentum? Tantundem, ac si omnes domesticæ forent merces, quæ domestico signantur insigni. — Historiæ de spectris, narrationes de sagis probantur etiam experientia, & tamen hodie nihil moramur amplius, illas veterum in hoc genere stabilitas experientiæ leges retractare, quodve Majores nostri suis oculis se vidisse, & auribus audivisse testantur, pro mera phantasie illusionem habere — quod etiam convenientissimum est; — Quod si facimus, cur ita leniter agimus cum proverbiiis, ut iisdem absque examine lauream veritatis tribuamus? Damnum, inde ortum, quod singula proverbia inter indubitatas certæ, multiplicisque experientiæ veritates re-

feramus, longe majus est, quam vulgo putetur.

Sufficientem adesse rationem, imminuendi proverbiorum vim, quisque perspexerit, si vel unum eorum in examen vocaero.

Hoc tantum valet, quantum quinta rota in curru — Hoc adagium in communi vita sæpissime auditur, pertinetque ad res, quæ valde commode abesse possunt, quin propterea cursus negotiorum impediatur — Huic explicationi, non habeo, quod opponam. Plurimæ enim extant res, quæ absque omni incommodo queunt emanere, quarum præsentia nullum adfert essentielle emolumentum, absentia autem nullum parit detrimentum. Sæpe in Collegio sedet quædam figura humana, cujus præsentia nullam aliam adfert utilitatem, quam sellam, quæ in serie est, non mansisse vacuum. Illos tamen recte judicare pernego, qui per quintam rotam in curru rem inutilem, & superfluum volunt explicare — Fateor sincere, ego ipse ejus eram opinionis, ut quintam rotam in curru talibus rebus applicuerim, quas inutiles existimabam; sed experientia me contrarium docuit, uti prædixisti, & ego optaveram, ut rem melius intellexissem, profecto multa animi ægritudine me liberassem. Necessitas jam multas artes docuit. Necessitati — in quam conjectus eram, adscribendum est, a me modo quintæ rotæ in curru honorem vindicari; sancte promitto, me hoc proverbio nunquam abusurum ad significandas res, quæ alicui usui essent.

Tempore meæ apud te commorationis jam aliquot diebus aberam a mea familia, & ideo utique meorum videndorum magno ferebar desiderio, quapropter vehementer optabam quamprimum itineri me accingere; omnia erant parata, ut sine mora ita accelerarem iter, quantum vires equorum paterentur. Meæ cogitationes præcurrebant equos, jamque destinaveram horam, qua ad meos ex improvise venirem. Via erat commoda, tempus serenum, equi recentes — verbo, omnia votis meis velificabantur, omnia felicissimum, celerrimumque iter promittebant, repente substitit auriga!

Quid est? nolunt equi progredi? mala est via? erant interrogationes, quas paulo iratior uno anhelitu feci. O! nihil horum, reposuit auriga — rota est fracta. — Ergo, jubebam, substituatur alia; hoc mihi primo impetu excidit; Qui effervescit, non illico perspicit naturam rerum. — Oportet adesse aliam adhuc rotam, inquit meus auriga, (& quidem ridendo, quod illi nec hodie adhuc ignoscere possum) si veteri nova sufficiens sit; hoc me reddidit meditabundum; agnovi famulum meum recte sentire, me autem in errore versari, ego enim juxta communem meorum Majorum, & æqualium consuetudinem usus sum curru, qui non erat pluribus, quam quatuor rotis instructus; tunc aperti mihi sunt oculi. — Homines, ita animoolvebam, vel nunquam sunt peregrinati, vel illis in itinere nunquam est fracta rota, qui

hoc adagium induxerunt: *Hoc tantum valet, quantum quinta rota in curru.* Equidem hac fatali hora cum omni fuissem rixatus, quicumque hoc proverbium suscepisset defendendum. Probe intellexi, me fortunatissimum fuisse futurum, si quintam rotam mecum accepissem, tunc mihi illico fuisset consultum. Quintam rotam in curru comparabam cum candidato, qui prima apertura intrudi potest; O si statim ad manus habuissem talem candidatum, qui occursuræ vacanti stationi mearum rotarum fuisset insidiatus, caruissem indignatione, quæ me totum conturbavit, non fuisset mea designatio impedita, debito tempore pervenissem ad meos. Quare, cum quilibet qui curru quatuor tantum rotis instructo vehitur, possit in eandem incidere calamitatem, admodum salutare foret, ita aptare omnes currus, ut pro casu necessitatis una, alterave rota eidem valeret imponi. Ætate, qua cuilibet rei apta tribuitur forma, & singulariter etiam currus effinguntur, ornanturque, profectò non erit difficile, pro una subsidiaria rota tale receptaculum construere, quod ipsi curru decus quoddam adderet. Utique in peregrinationibus multæ circumferuntur res, quæ oneri sunt, & minime ita necessariæ, atque quinta rota in curru; verbi gratia: ingentes illæ pro vittis scæminarum capsæ superius ex carpento prominentes turpiter scædant currum. — Interim, cum mulieres de suis vestimentis, quæ ubique semper secum habere cupiunt,

nihil passuræ sint sibi deesse, eaque de causa non sit spes, ut quintæ rotæ aliquod spatium concedant, minimum ita æquos nos esse oportet, ut quintam rotam in curru ad dignitatem talium rerum evehamus, quæ valde utiles sunt, & serio commendari merentur. Quapropter hoc in ignominiam, & detrimentum quintæ rotæ in curru introductum proverbium obliteretur, & si nonnulli illud forte mordicus retinere contenderent, ita immutetur, ut in casibus, in quibus aliqua res tanquam summe necessaria, & qua nemo carere possit, exprimenda sit, assvescant dicere: Hoc ita necessarium est, quemadmodum quinta rota in curru.

Ex hoc scripto apparet, nostrum omni honore dignissimum bellicum politicum ope quintæ rotæ esse meliora edoctum, & bonam existimationem, ac fidem ephemeridibus restitutam. Sed ut eo magis adhuc vincatur, nullam esse alicujus coalitionis in continente spem, lubet confessionem ipsius Domini Pitt in medium adducere. Die 21. Junii habebatur sessio in Curia inferiore, ubi Pittius Patribus conscriptis proposuit, ut suæ Majestati Regiæ resolverent 3. milliones, & medium libr. Sterl. quo in casu necessitatis majoribus possit agere viribus. Jam prius, dicebat Pittius, petii 5 milliones, verum tunc certa affulgebat spes conflandæ societatis armorum, quæ nunc penitus evanuit. Foxius contradicens huic propositioni, vult Minister, inquit, fœdera saucire in continente? Quid

inde fieret? In spem adducimur fore, ut pax propediem restituatur; Per fœdera bellum tantum protraheretur. Bellum solummodo miseris involveret continentem; Nulla Gens illud optat; contra, pacem omnes deprecantur. — Post multas tandem altercationes summa petita determinata est.

Jam quæro ex unoquoque bellico politico, quid sentiat de hoc Pittii effato? An possit firmiter testimonium produci ad demonstrandum, ephemerides non esse quintam rotam in negotiis politicis? — Hæc sunt, quæ in hodierna mea oratione novorum irrisoribus dicenda habui. *Si bene, plaudite. — Dixi, Et salvavi ephemerides.*

ANNUNCIATIO. ***

Multa esse, quæ in libris, pro utraque Humanitatis Schola destinatis, præcepta stili continentibus, desiderantur, eaque a Cl. D. D. P. P. varie suppleri, certum est. Ego utrique Humanitatis Classi consulere cupiens, doctrinam in Fundamentis stili cultioris Heinzeccii, per Niclasium, & Gesnerum notis aucti, in Initiis Rhetoricis J. A. Ernesti, Præceptis stili bene latini Schelleri, Institutionibus ad eloquentiam in usum Scholarum Austriacarum, in Cicerone, Quintiliano, Masenio, Decolonia, aliisque antiquis, & recentioribus Scriptoribus comprehensam, ac sparsam collegi, unde novum opus, quod sub titulo *notitia artis oratoriae* typis mandare intendo, in duas divisum partes, com-

posui. In primam ea fere, quæ in Rhetorica nostra non inveniuntur, conieci, cui, exemplo eorum, quos sequor, auctorum, orthographiam latinam inserui. Secunda varias exercitationes epistolicas, periodicas, narrationes, alloquutiones Legatorum, Vice, ac Supremorum Comitum, prout habebantur, complectitur cum brevissimis, quæ facile percipi possint, præceptis, quæ etiam ad chrias, libellos supplices, & inscriptiones extenduntur. Partem etiam quorundam auctorum, in Chompre vol. 4. contentorum, secundum dictos Scriptores, adhibeo cum primis conatu, in quo potissimum naturalis eloquentiæ pulchritudo consistat, discipulis exponendi, institutæ explicationes occupant. Non igitur male collocatam, aut displicentiam puto operam; neque enim merces meas vendito, sed celeberrimorum virorum doctrinam propono, unde non discentes solum, sed alii etiam, amœniorum literarum amici, voluptatem capere possint, & utilitatem. Terminus prænumerationis erit 15 mensis Augusti. Quoniam totum opus, si lucem viderit, 50 circiter philylris constabit, hinc pro singulis partibus 1 flor. ab iis, qui sibi comparare voluerint, successive, accepto exemplari, erit deponendus. Mos, ad 10 exemplaria 11 mum emtoribus addendi, a me quoque observabitur.

Sabariæ die 15 Junii a. 1805.

JOANNES SZÉP
2. Humanitatis Professor
